

No. 891. 1416. 11. Febr.

Notariatsinstrument, wornach von einem der Theilnehmer an der Beraubung der Boten des Probsts Boleste (No. 888) die am 28. Febr. zu bewirkende Zurückgabe der geraubten Gegenstände zugesichert, einer der Gefangenen freigelassen und über einige dahin einschlagende Punkte ein Vertrag abgeschlossen wird.

In nom. dom. amen. Anno nativitatis eiusdem M. CCCC. XVI. indictione nona, mensis Februarii die XI. in aestivario curiae episcopalis Misnensis hora nona vel quasi, sede apostolica vacante, in praesentia reverendi in Christo patris et domini Rudolphi dei et apostolicae sedis gratia episcopi Misnensis meique notarii publici subscripti testiumque infrascriptorum praesentia, personaliter constitutus honorabilis vir dominus Swanthoslaus Jasconides, perpetuus vicarius ecclesiae beatae Mariae virginis in Vnenow Gneznensis diocesis, procurator reverendi domini magistri Petri Boleste praepositi ecclesiae Lanticiensis Gneznensis diocesis, apostolicae sedis prothonotarii ad infra scripta, de cuius procuratorio mandato per instrumentum publicum manu Johannis Hagheman clerici Osnaviensis publici — notarii subscriptum et signeto debito roboratum mihi tunc exhibitum productum facta fuit plena fides, cuius quidem instrumenti tenorem hic volo habere pro inserto, ubi praedictus dominus Swanthoslaus ante omnia nomine procuratorio domini sui magistri Boleste regravabatur reverendo — domino Rudolpho episcopo Misnensi ibidem praesenti nec non inclitis principibus et dominis Fredrico seniori Thuringiae lantgravio, marchioni Misnensi ac comiti Saxoniae palatino, et Johanni duci Slesiae, domino in Sagano, quod ex eorum promotione consilio et auxilio res ablatae familiaribus domini Petri Boleste diocesis Misnensem perambulantibus, in pecuniis equis et argento ꝛ. restituerentur et restitui debebunt procuratoribus magistri Petri Boleste supradicti; item dominus Swanthoslaus publice recognovit se experientia didicisse, quod memorati domini Rudolphus episcopus Misnensis, Fredricus marchio Misnensis et Johannes dux Slesiae dominus in Sagano omnem diligentiam adhibuerint, diversos nuncios hinc inde dirigendo, expensas et fatigas plurimas faciendo ad explorandum et inquirendum de spoliatoribus rerum ablatarum domini Petri superius nominati; insuper dictus dominus Swanthoslaus per expressum se recognovit informatum, quod huiusmodi spoliatio nec in territorio praedictorum dominorum Rudolphi episcopi Misnensis nec domini Fredrici marchionis Misnensis sit perpetrata, neque per vasallos nec familiares dominorum eorundem. Praeterea diversis tractatibus praehabitis in via amicabilem compositionis est concordatum de consensu et voluntate libera praedicti domini Swanthoslai, quod famosus vir Lutoldus armiger Wratislaviensis diocesis praesens ibidem Nutenhafē pro se et suis in hac parte complicibus videlicet Henrico Dobrisch et Kamin, qui hoc spolium se recognoscunt perpetrasse tanquam inimici publici regis Poloniae, restituere debent in effectu res per eos in huiusmodi spolio ablatas dictis familiaribus domini Petri Boleste, quantumcunque sub iuramento eorum recognoscent ad eos pervenisse, prout ad iuramenta se offerunt libere et sponte ad eos pervenisse ipsosque